Stanislaus Ep. Cracovien.

Hyacinthi Felicis et fausti ingressus in episcopatum Cracoviensem.

FELICIS & FAVSTI INGRESSVS IN EPISCOPATVM PRÆMYSLIENSEM.

Ad Ill^mum & Rñd^mum Dominum, D. STANISLAVM SIECINSKI Præſulem nouocreatum Præmyſlienſem dignisſimum.

GRATVLATIO.

Per F. Hyacinthum Duracz Carmelitam oblata.

CRACOVIÆ.
In officina Simonis Kempinij Anno Chriſtiano ꝏ IↃC X.

IN STEMMA
Vetustissimum Dictum Rogala.



Cornua bina vides claro pro stemmate ferri
Lechûm: à Siecinski Præsule magnanimo.
Cornua namque viris duo sunt hoc sanguine cretis
Quêis feriant hostem: Marsque Minerua sagax.
Marte Getas reliqui feriant qui castra secuti,
Hæreticos Præsul, arte ferire velis.

GRATVLATIO.

SI Centoculus ille Deitatis triumuiratus, eo munere me sibi obstringere voluisset, vt, quidquid verborum conceptâ serie, ardentibus votis expostularem, id reâpse in effectu ipso consequi fas esset: exoptarem, non quod stultissimè auarissimus Midas, vt omnia quæ per sensus aut video, aut audio, aut olfacio, aut gusto, aut attrecto, in aurum conuersionem & mutationem sortirentur; nec quod imprudentissimè, hac in re meritò inscitiæ notâ adspergendus Cleanthes, vt singula, quæ in aciem oculorum deuenirent conspicanda, lucidissimo & clarissimo solis splendore & fulgore collustrarentur ac coruscarēt; neq; quod turpissimè fędissimus porcus Epicurus, vt mihi è limo terrâq; figulato, cęlestes voluptates impartirentur & erogarentur. Sed vt orationis huius meæ tenuissimum filum haberet aliquantulùm, si non totum aut aliquid, exquisitæ & perpolitæ dicendi artis, quâ, in conspectum Ill^mi^ & Rñd^mi^ Antistitis, non destitutus prodirem; & calamus aliquid è Tullii deliciis, aut Demosthenis cincinnis, aut Periclis fulminibus, aut Asinii vbertate, qui fortia magis quam diserta scribens laudes & præconia, amplissimi Præsulis scriberet & pangeret: & animus, nescio quid diuini luminis, quo clarissimi Episcopi, mihi & toti familiæ nostræ Carmelitanæ, mentem et amorem arctissimâ & indissolubili beneuolentiâ deuincirem & constringerem. Nam cum modernis temporibus tam tersa & exculta iudicia sint

hominum,

hominum, vt limam Ariſtarchi nõ requirant, itaq; quidquid adinſtar ſcopparũ diſsolutũ, nulloq; artificio colligatum eſt, illud cum faſtidio repellunt: & cum aures non ſolum eruditorum, verùm etiã imperitorum, tam ſint politę & limatę, diſertiſsimorumq; Oratorum lectione tritiſsimę, vt nullam Orationem, niſi fuerit illa eloquii veneribus decora, & dicendi calamiſtris inuſta; exquiſitiſsimisq; verborum lenociniis demulſa, patienter ferant; illis non dico aliquantula imprudentiæ nota adpingi, ſed fædiſsima impudentiæ labes allini debet, qui & à naturâ eloquentiæ floribus marcidi, nec verborum flumine, ex intimâ arte prompto ſcaturientes (in quorum ego grege annumerari minimè erubeſco) in oratorũ celebritate verſari & infantes, minimi literatoreſq; eloquentiſsimorum, Maximorum, literatiſsimorumq; laudes, ipſi illaudati deprædicare audent. Quid igitur facerem? niſi quòd tota familia noſtra Carmelitana, & Rectores ipſius Tibi Ampliſsime Pręſul æternùm deuoti, iuſsêre, & grandem materiam, ingenio meo exiguo non ſuſtenturo, & in ipſo conatu vltra vires audenti, ſuccubituro, demandauêre, vt omnem meam infantiam dicendi poſthaberem, omnem eloquentiorum incuſationem & reprehenſionem poſtponerem, & ſi quorum obſtrigillantium aculei reperti fuerint, valenti & robuſto animo perferrem. Prodeo itaq; in ſolem lippis inunctus oculis, ſed inuitus, vt verecundiam agnoſcas Reuerẽdiſ. Antiſtes: deſcendo in hunc puluerem cum

malè

malè exercitatis equis,verum iussus,vt æternùm deuin-ctiſsimum Ordinem B. M. Virginis de monte Carme-lo aduertas;decurro in hęc curricula dicēdi,ſed vt inge-nio ieiuno, ab hac prouinciâ grandiloquâ alieniſsimo, ſic ad communem omnium noſtrûm Carmelitarum animo ad oſtendendam & declarandam obſequiorum promptitudinem propenſiſsimo, vt voluntatem pro-bes. Neq; vero ea ratione hoc dicēdi iter ingreſſus ſum, quòd Tuas Ampliſsime Pręſul laudes, quę longe lateq; diffuſę ſunt, vixq; terminis Garamantarum & Indorum, Diis fauentibus vt annuit Tuus genius Reuerendiſ: An-tiſtes (abſit blanditia verbo) circumſcribi poſſunt, meæ paruulę orationis finibus includi autumem : aut quod Orationem meam, ſine illius oratoris,quem alte-rum mater,alterum induſtria enixa eſt,artificio fluxam, ſine Periclis fulminibus, lauguidam, ſine Iſocratis mel-le amaram oculos Tuos ,aliquâ voluptate diſuauiare poſſe exiſtimem : ſed eâ potiſsimum de cauſâ, quod cū omnia etiam inanima ferè, ſuorum Mecęnatum laudes deprędicent,ſiue animi quędam religioſa concitatio id expreſſerit ab iis, ſiue ratio officii neceſſaria exegerit. Nùm Carmelitas ſilentium perdidiſſe debuerat , vt A-myclas in ſui Mecęnatis & Ampliſsimi Pręſulis , tot be-neficiis commemorandis & concelebrandis à quo nos omnes,& ſperandi ,& reſpirandi rationes ſuſpenſas no-bis pollicemur. Te Te proinde Pręſul digniſsime pau-lulum à Carmelitis modò patiaris non Tuis iuſtis co-

loribus effingi,& floribus depingi,quod non poſſumus ſed debemus: verùm certis quibuſdam lineis, pro modulo ingenii adumbrari: quod non debemus,ſed non poſſumus.

Nec nouum nec mirum eſt,imo vſitatiſsimo & quotidiano more Oratorum receptum, vt ij, qui aliorum pręclarè geſta, ſiue ſempiternis monumentis conſignare niterētur, ſiue breuiuſculo ſtylo prędicare & penicillo præteruolante adumbrare conarentur, exordium laudum ipſius, quem celebraturi ſunt, à genere, patriâ, Maioribus, proſapię vetuſtate & ſplendore, educatione inchoent & auſpicentur. Nec enim eos eo in loco audiendos, imò explodendos cenſuerim, qui cœco mētis errore tranſuerſim acti, aut virtutis, virtutis tantùm ſplē didiſsimâ ſpecie falſò illecti, nihil imaginibus, nihil ſanguini, nihil familiarum fulgori & ſplendori, nihil ipſi generis propagationi tribuendum putant, plenis buccis & pleno ore illa proferentes.

Stemmata quid proſunt, quid prodeſt ſanguine longo
-- -- cenſeri, ſola eſt atq; vnica virtus
Nobilitas -- -- -- -- -- -- --
Malo tibi ſit Therſites pater, modo tu ſis
Aeacidæ ſimilis. -- -- -- --

Sæpe Heroum filij noxæ; ij ſi nullius regni & Monarchiæ habenas ac regimen, præterquam ijs, qui illuſtres alicuius familiæ ſatu editi (prout enim rara Phœnix in mundo, ita rari Iphicrates, aut noſtri Piaſti) omnium ætatum nationumq; cōſenſu commiſsum & traditum animad-

animaduerterint; si nullum vnquam eorum ex aquilâ; aut asinum è leone; aut canem è leopardâ prognatum viderint: sed fortes creari fortibus ac bonis, esse in juuēcis, esse in equis patrum virtutem, nec imbellem à ferocibus aquilis, progenerari colūbam; si dico nunquā nec ex lauro sentes, nec ex oliua glandes, nec ex lilio vrticas, effloruisse perspexerint; Si inquam lectitârint apud Hystoriographos esse non infimam laudem, fuisse, vel Æneæ Iulum spe crescentem, vel Priami Hectorem pectore fortem, vel Iouis Herculem virtute masculum; deniq; si vnà mecum, Amplissimi Præsulis Stanislai Siecinski ex Illustrissimi sui Parentis sanguine efflorescētis, virtutes, gesta, & facta, mente & animo lustrârint quid & quantum habeat momenti, & ad vitam sanctè pieq; cum terrore & extirpatione Hęreseων degendam, & virtutis viam studiosè persequendam, & laboriosè calcandam nec non hunc Episcopatum Præmyslensem iustissimè & sanctissimè, adinstar Stanislai, aut Alberti, aut Zbignei Olesnicki aut Prādotę regendū, & administrādū generis splēdor maiorūq, & paternis sāguinis primū insita, post propagata vis sine vllo negotio vel talpę in mediâ luce videbūt. Nam etsi Tua Rn̄dissime Antistes vita adeò omnigenis virtutibus, tanquā stellulis quibusdā distincta fuerit, & emicuerit, velut inter ignes Luna minores, vt dum Te primum inter Satrapas & Dynastas, curię Regię Sarmaticę, summâ cum laude Tua & honore, commorantem dixero; vel Canonicum Craco-

uien-

uienſe omni humanitate preditum, & liberalitate pene diuinâ munificum nominâro, inſuper, mitrâ Epiſcopali donatum Premyſlienſi, omnes honores, & dignitates mundanas antecellente adpellauero, non tam Tuum nominis ſplendorem hiſce titulis & ornamentis condecorare, quàm eos titulos & ornamenta Tuo nomine nobilitare & honeſtare videar. Verumenimuerò ſi Te Reuerendiſsime Antiſtes Patris Tui ampliſsimi Marte & Pallade potentiſsimi, ſanguine cretum, & Sieciniorũ Stemmate dicto apud Sarmatas Rogala illuſtrem dixero, tantùm laudis videbor Tibi tribuiſſe, quantùm diuinus Homerus Agamemnoni, dum Palladis, aut fulminans & fulgurans Maro Æneæ, dum Veneris, aut iucundus Ouidius: Auguſto, dum *Iouis*, aut ſedatus *Statius* Achilli, dum Martis, aut reliqui Poëtę, cęteris clariſsimis & omni genere honorum inſignitis viris, cum *Deorum* illis genus & ſanguinem adfingerent & adſcriberent. Eam namq; hauſêre antiquiſsimi quiq; opinionem & imbibêre mentibus ſententiam tantam in proſapiæ, familieq; ratione, & generis ipſius naturâ inſidere vim, vt nihil ab eo edi preclarum, ac ne ſtatui quidem, nihil ab eo ſtatui pulcrum, ac ne cogitari quidem, nihil ab eo cogitari magnificum, ac ne ſperari quidem cuius nomẽ & genus à Dei aut clariſsimi cuiuſpiam viri familiâ non fuerit deriuatum. Neq; vero cum hęc mando chartæ, id à quoquam intelligi velim: à me aliquam poni aut in Poëtarum commentitiis fabulis veritatem, aut falſo-

rum

rum numinum opinione religionem, aut priscę vetustatis verè anili superstitione diuinitatem, (quanquam & Poëtarum figmenta, solent veritatis, & Deorum opinio potest religionis, & vetustatis superstitio debet diuinitatis quandam rationem pręseferre) sed vt autoritate veterum id eliciam fuisse in mentibus omnium populorum insculptum, etiam eorum quos vel fędissima morum barbaries infuscauit, vel ludicra & nugigerula Deorum inanissimorum superstitio velut mācipia quędam sibi obstrinxit, vt magnum quid de generis nobilitate, plenâ honoris & obseruantię, sentirent ac vbiq; nō tantùm in vulgus spargerent, verum etiam in sumâ celebritate hominum proseminarent. Quid igitur hic primum dicam, de prosapiâ Tua Amplissime Pręsul? vbi vltimum primum, primum vltimum. Vbi enim Marte dixero potentes, velut primo sedem suam figēte in nostris Sarmaticis oris, ecce Pallas posterior licet migrans in nostras ædes, vult Tuos maiores suarum doctrinarū splendore illustres, & Musarum choro claros, vt quę duę res rarissimè aut vix vni concessę & collatę, sed pluribus; eæ vtręq; in Tua familia Rn̄dissime Antistes vnâ & simul domicilium suum seposuisse ab omnibus conspiciātur. Neminem latere autumo Sieciniorum familiam antiquitate, & si non omnes superantem, certè multas prosapias longo post se interuallo relinquentem, in duobus districtibus Dobrzinensi & Pręmysliensi suum fixisse pedem, ac Martias, nec non Palladias virtutes vbiq;

biq; locorum velut patulos ramos diffudisse. Ac vt primum recenseam Tuos maiores, qui solum Pręmysliense incoluêre, quorũ cum gloria, fama, virtus, doctrina rei militaris sum̃a peritia, honores, amor in patriam, velut luminaria quędam, inter nobiles illius Soli, in hodiernũ vsq; diem, & post in quàm longissimos annos, luceant & splendeant: Te proinde pastorem illarum ouium Pręmysliensium, ille summus pastor Deus pręsciuit & pręelegit, Pro-Petrus Paulus V. adprobauit, Serenissimus Sigismundus *III.* in locum nuper defuncti Rñdissimi Matthię Pstrokonski, insigni virtute Tuâ, & doctrinâ perspectâ, laboribus indefessis, in curandis non deglubendis ouibus sedulò trutinatis, suffecit. Sed vt vnde cępit eò recurrat mea dictio, scilicet ad recẽsendos Tuos Maiores, inter Pręmyslienses nobiles accolas: horum agmen agit primus Iacobus Siecinski, filius Iacobi Siecinski cognomento dicti Traba: hic cum multos, summâ cum laude & suâ & posterorum, in arte militari exegisset años, gloria ipsius tam pręclara rerum insignium gestarum, velut clangore quodam sonoro tubarum, etiam exteras nationes, tot & tantis cladibus editis, in Turcarum & Scytarum numerosissimis exercitibus, repleuit. Summa laus huius Viri, non minor certè, nec inferior, imò vix cuipiam par, Alexii Siecinski, in eodẽ districtu Pręmysliensi, qui cognomen aliud adsciuit suę familię, nimirum Krasicki: hic Tribunum egit ibidem, Vir sane sagatus & togatus pręstantissimus, proleq; è dua-

duabus vxoribus susceptâ clarissimus: Regis August: obsequiis diuturnis insignis. Neq; etiã eo in loco silentio prętereundũ, duxerim Stanislaũ Siecinski, Capitaneum Lubomien: trium Regum muniis obeundis fidelissimè & sincerissimè illustrem, maxime vero, Regi Stephano Viro Martij pectoris amantissimum: quod equidem facile cuilibet liquere potest, ex illis expensis, quas inter cęteros non impares, in expeditionibus bellicis, regnãte Bathoreo fecit: vtpote in bello Gedanensi, in bello contra Moschum impiè fędifragum, & Pęno ipso (vt ita loquar) Pęniorem: in quibus sane difficillimis & maximis bellis, facile vidêre omnes eũ vel Scæuolam, non manum adurentem, sed vitã vitam ipsam, pro aris & focis patrijs, pro religione Catholica profũdentem: vel Coclitem suo robore impetus Germanicos & Moschouiticos retundentem & repellentem: vel Achillem non Hectora ter circum muros raptantem, verùm tot Turcarum, tot Scytharum capita abscindentem. Hęc gesta à Sieciniis inter Pręmyslianos, quę erunt inter Dobrzynianos? Silebo reliquos, ne magis videar offundere ecclypsim huic soli, dum non possum satis dignè laudare quam addere splendorem. Tuus parens clarissimus Andreas Siecinski Amplissime Pręsul, est mihi instar omnium, vt cuidam Oratorum diuinus Plato. Cuius ego, si facta, virtutem, domi militięq; præclara facinora, vellem commemorare, & dicere, actum agere & frondes syluis importare viderer. Verùm ne tamen

quiſpiam mihi vitio verterit, quòd omnino nihil de ipſius laudibus dixero, hanc itaq; ego vnicam ipſius laudem, in tam ãpliſsimâ prouinciâ rerum ab eo geſtarum delibare, hunc vnicum floſculum, in ſpacioſiſsimo, eoque amęniſsimo Hortulo ipſius decerpam, cum ſũma laterum contentione proclamans. Ab eo Viro, tam pręclaram prolem, quę comprimis Deo honori, patrię laudi, amicis exemplo, poſt omnibus ſolatio & auxilio ſit, editam eſſe: uſu vero vetuſtatis contritum eſſe dicterium: qualis pater talis filius, & è conuerſo: qualis filius talis pater, rarus eſt qui ambigat Atq; ſilẽtio inuolutâ cęterâ ſobole, Amplisſimus Pręſul Pręmyſliẽſis Staniſlaus Siecinſki, omnes omnium virtutes, omnia dona ſiue animi ſiue corporis complexus eſt: vt meritò ego iuſſus ab ordine meo Carmelitano, & ſi non iuſſus, tamen virtute ipſius permotus, doctrinâ pertractus, humanitate & liberalitate illectus, gratulari comprimis Cathedræ Pręmyſlienſi debeam quòd talis Epiſcopus ei obtigerit & mitrę, quòd tã probum & doctum caput tanti Pręſulis cinxerit: & ouibus, quòd eiuſmodi paſtor eis obuenerit: inſuper ipſi amplisſimo Antiſtiti Staniſlao Siecinſki, quod in tantum culmẽ honoris & dignitatis Epiſcopalis, vtinam quàm digniſsimè quod virtus & doctrina ipſius pollicentur nobis: & quàm longiſsimè in quo Deus & ſuperi annuant, euectus ſit. Exiſtimo quidem, nec falſum quidpiam, opinionem mihi ſubblãdiri reor, à Cathedra Pręmyſlien: pręḋicari ſuos Herbortos,

tos, maxime illum qui in concilio Tridentino, ſummo cum honore & ſplendore gentis Polonę, ſummâ cum laude Poſterorum, velut lumen quodpiam adfuit, ſatiſque dexterrimè cum magno illo altero Hoſio Polono Cardinali, in tantâ coronâ Senatus Catholici patrum, virtute & doctrinâ magnorum ſtetit: vt iam ego licet vnicus Phęnix in orbe tradatur, duos Phęnices in Poloniâ Herbortum cum Hoſio dixerim, ac piè id quidem. Scio in memoriam, paſtoralis huius dignitatis regimen, ſatis ſuperq; laudabiliter, à Goſliciis, Gomoliniis, Tarnauiis, quorum iam animę in cælo actum & factũ reuocari: ac id amanter ſane. Multorum ſermone ad nos Cracouiam perlatum, hanc ſellam Pręſulatus Præmyſlienſis, non multo ab hinc tempore, è viuis ſublatũ, piæ memorię Matthiam Pſtrokonſki luxiſſe & planxiſſe: ac id profecto iuſtè. Verùm cum Tu Rńdiſsime Antiſtes & Herbortos, virtute & doctrinâ, maiorum imaginibus æques: & Goſliciis, Gomoliniis, Tarnauiis, in regimine hoc paſtorali Tuo, bene & cum laude adminiſtrando palmam prę̨ripere contendas: reſtat, vt quas lacrymas ſedes Prę̨myſlienſis Epiſcopalis, in deceſſu magni quõdam Pſtrokonſki, fudit largiſsimas: eadem nunc, in ſucceſſu maximi nunc ſui paſtoris Staniſlai Siecinſki, immenſo tripudiet gaudio. O lacrymas: O dolorem, dum decedit ex Epiſcopatu clarus Pſtrokonſcius: O gaudium, O lętitiam, dum ſuccedit in eundem clariſsimus Siecinius. At qua ex re clariſsimus? diximus, nobilitate,

Maiorum ſplendore & fulgore: nunc dicamus virtute & doctrinâ. Plura quidem potuiſſent, recenſeri, vt honores, diuitię, affinitates, pulcritudo corporis, ſanitas, ſenſus integri, ex quibus prętantiſsimos quoſq; viros commendare pręcipiunt dicendi Magiſtri; verùm hęc ſpecioſa, virtus & doctrina neceſſaria: hęc apparẽter bona, ea verè bona: hęc ad ornatum adhibenda, ea ad ſalutem: hęc externa, ea interna: hęc corporis, ea animi: hæc lubrica & fluxa, ea ſtabilia & immortalia; vt veriſsimè exclamârit Comicus. Omnia adeſſe ei bona, quem penes ſit virtus: de doctrina verò & artibus quid dicemus? Ab omni æuo (literaturam gentilem, & diuinorum voluminum Sacramenta conſulamus.) Deus extare voluit doctrinam, velut pharum, & lucentem quendam ignem in tempeſtuoſo mari: Hęc enim pacem dirigit, bellum dirimit: ea vitia virtuteſq; premit aut excitat: teſtis temporum, arbitra meritorum, diribitrix litium. Reges & magna illa nomina ſummorum Pontificum, Cardinalium, Archiprę ſulum, Epiſcoporum, Satraparum, Dynaſtarum, Ducum, Comitum, Pallatinorum, obliuionem æuiternam iam nunc cogitent, niſi pẽnatus iſte currus euehat & oſtendat per æuum & gentes. Proinde quod aliquãdo memini me audîſſe ex melleo Fabiano Bircouio, Prędicatore ex familiâ S. Dominici, clariſsimo, à cuius ego quõdam diſciplinâ fui: potentiſsima Catholicorum eſſe argumenta contra Hęreticos: bene viuere & doctum eſſe; idem ego iure meritiſsi-

tiſsimo dixerim: maximas eſſe laudes, ne dicam cuiuſlibet Pręſulis, qui eſt ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus: ſed etiam cuiuſlibet Chriſtiani: Virtutem, vnde probitas vitę eſt,& doctrinam. Satis itaq; ego mihi oſtendiſſe videbor; Staniſlaum Siecinski non inferiorem Herbortis,ſuperiorem aut certè parem Goſliciis, Gomoliniis, Tarnauiis, ſucceſiſſe in Epiſcopatum Pręmyſlienſem, ſi virtute & doctrinâ illuſtrem declarâro;vt iam eâ de re vnâ mecum iuſtiſsimè gratulari ſibi, & Pręmyſlia, quod tantum Pręſulem nacta ſit: quid Pręmyſlia? imò omnis Senatus Polonus, quod tantum Senatorem ſortitus: quid Senatus? imo vniuerſa Sarmatia, quod tantum lumē orbi pepeperit, poſſet. Eccam cauſam? ob virtutem, quę profectò ſumma eſt in ampliſsimo Pręſule Siecinio; vidit quippe & animaduertit ſuos Prędeceſſores,quid Prędeceſſores? imo omnes hac mitrâ Epiſcopali fulgentes, quid mitrâ Epiſcopali fulgentes? imo omnes nomine & re veros Chriſtianos, per virtutem, velut gradus quoſdam ad cœlum aſcendiſſe, famamq; ſui nominis, & Maiorum, & poſterorum, hac vnicâ,per hoc totum vniuerſumq; mundi theatrū, propagaſſe: per hanc Staniſlaus Tuus tutelaris, per hanc Adalbertus, per hanc Prandotą, per hanc Zbigneus Olesnicki, ad cęleſtium cohortes commigrârunt: ab hac Baranouij, Tyliccij,Gębiccij, Firleii, Szyskouii bene audiunt, & Tu Rndiſsime Antiſtes, æternùm bene audies. Verumenimuero cum hoc ſit nomen generale vir-

tus

tus,ſpecies ego eius aliquas,ſi non potero omnes ob ingenii imbecillitatem & inopiam dicendi, in amplißimo Pręſule Præmyſlienſi commonſtrabo. Quas ergo ? mirè deuotum animum in Deum & Sanctos, morum comitatem,ſummam humanitatem,prope diuinam in egenos & pauperes munificẽtiam & liberalitatem : quibus profecto virtutibus Epiſcopalis dignitas velut cœlum Atlante fulcitur. Quã deuotum Amplißimus Præſul ſe geſſerit in Deum , non eſt quod multa indicia huius rei conquiram : noſtra Diua Virgo Maria Carmelitana Cracouiæ in Arenis tantis miraculis clara, vt iure cum Sichemienſi, & Hallenſi (quarum miracula magnus ille Lipſius, antiquarius huius æui panxit) multitudine miraculorum decertare poſsit, ea itaq; inquam Diua noſtra amplißimo & luculentißimo teſtimonio eſt, deuotionis miræ Rñdißimi Antiſtis, quem nec lõginquitas itineris, nec via luto & cœno infecta, nec domeſtici labores qui ſemper plurimi fuêre, nec cæterę occupationes retardârunt, quò ſæpißime ac ſæpißime inuiſeret ædes eius,& ad imaginem ipſius ardentes preces & vota funderet; atq; nihil adeò iucundum , nihil ſuaue poterat obtigiſſe ei, quam pedes adire imaginem Diuæ Carmelitanæ,inuiſere ſepulcreta Diuorum , Staniſlai,Hyacinthi,B. Cantij, Simonis de Lipnica Bernardini, Eſaię Auguſtiniani,Michaelis ad S. Marcum, & D. Salomeæ. Ad morum comitatem venio : à ſcopo eorũ quàm probißimorum, (credite credite lecturi hanc Oratio-

rationem mihi religioſo) nunquam aberrauit Rñdiſsimus Antiſtes, dum adhuc inferior gradu, verùm maximus hac virtute morum comitatis, eſſet: quid exiſtimabimus, dum Epiſcopali dignitate inſignitus eſt, dũ Pręſulem agit? quem lumen Tarſenſis vrbis, imo totius orbis Paullus, eiuſmodi debere eſſe docet: non irreprehenſibilem, vnius vxoris virum, ſobrium, pudicũ, prudentem, ornatum, hoſpitalem, docibilem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, & cęteris quæ de eo ſequuntur virtutibus præditum. Neq; vero quiſpiam autumet vt illa vetus & quotidiana in cæteris macula poſsit adſpergi ampliſsimo Præſuli: Cum honoribus in eo mutari mores: putate in peius; in melius in melius ſperate indies mutãdos. Ac vel maxime circa humanitatẽ & liberalitatẽ in egenos & inopes; Humanitate ingẽti ornatũ & pręditum ipſe ipſe agnoui, dum in meã cellam pauperem deſcendẽtem Canonicum vidi & ſalutaui: nunc credo & ſpero me ſum̃am experturũ Epiſcopi, dum paruulum hunc Æneam, qui ludat in aulâ Tuâ nõ quidquam ſatis pro honore Tuo laudes in cõſpectũ mitto. Vt quod olim diuinus Philoſopus, à cuius inſtitutione Stagirita, iubebat Xenocratem, gratiis (qui paulo magis quam decebat hominem tetricus erat) ſacrificare: ipſæ gratiæ vltro Rñdiſsimo Antiſtiti Siecinio (qui pluſquam humanus inter cęteros homines) ſacrificent: vt iuſtiſsime pronunciârim cum Póeta.

Candidus & talos à vertice Purus ad imos.

Iam vero si liberalitatis Tuæ,plurima eaq; clarissimã specimina explicâro, omnes illos Alexandros, Cęsares, Mecęnates superare mihi videris: nostros vero *R*adiuilos,Macieiouios æquare: vtinã & illum magnum Petrũ dictum Gamratum Episcop: Crac: & Archiepisc:Gnesnen: imitari; de quo illud monumẽtis ad posteros trãsmissũ est; antequam prandere occępisset, plurimi pauperes concurrebant ad ipsius Pallatium, quos cum ille vidisset: non prius sedisse ad mensam, & cibum sũpsisse perhibetur, quoad ipse ipse omnes illos pauperes saturos à domo suâ discessisse non animaduertisset; tum demum edere Episcopum debere cùm pauperes Christi edissent, iustisimum asserens: ego vero dixerim & sanctissimum. O fęlices eiusmodi dexteras, nunquã nunquam, prout contigisse legimus apud Baronium Osualdo Scotorum Regi, marcidas & aridas futuras, verũ per omne tempus & æuum superuicturas. O liberales manus, quę sacram eleemosynam in egenos erogant, dignas illo elogio, illius Aidani Episcopi, vt nunquã senescant. His his itaq; virtutibus ornatum Amplissimum Pręsulem Stanislaum *S*iecinium Cathedra Premysliensis habes, quem iustum est vt ames, colas, obserues. Tibiq; ex obuentu tanti Episcopi gratuleris: verum & doctrina in eo viro sũma, quę etiam eosdẽ affectus in eum à Te exprimit & extorquet. O Rñdissime Antistes.

- - - O Sydere dextro.
Edite: multa Tibi Diuûm indulgentia fauit.

Cùm

Cùm obires & lustrares Italiam, quam multis obiisse & lustrâsse, fuit ad libidines om̃es, mimicos nescio quos & histrionum gestus imbibendos & hauriendos: Tibi ad omnes thesauros scientiæ & eruditionis adferendos: vnde Te vt cœlum ita animum mutâsse, qui trans Danubium cucurreris, dixerint omnes; obuersabantur quippe animo tuo illi Hieronymi, Origenes, Pythago. ræ, Platones, Democriti, qui omnis probitatis & doctrinę ergo percipiendæ, non vero fastus, luxus & totius improbitatis hauriendę, tot oras variarum gentium peragrârunt. Multa multa itaq; doctrina allata, per Amplissimum Pręsulẽ Stanislaum Siecinski ex Italia in Poloniam, quæ etiam indies recolitur & augetur ab eodẽ. Recolitur quidem, quia vt apud Iudæos, illa animalia pura, & sacris apta, quę ruminant: sic huius Diuę aris ille Mystes, qui ea quæ à magnis suis præceptoribus percepit, repetit & apud se colit, Augetur autẽ: cum quotidie itur à Rñdissimo Antiste ad Augustinos, Hieronymos, Ambrosios, Gregorios, Thomas Aquinates, Bonauenturas, Baronios: aut etiam longius, & quodammodo à professione Tuâ remotius: Platones, Aristoteles, Cicerones. O suauem mixtionem & cinnum. Nam sicut saccaro cibi vt dulcescant intersparguntur, sic sacra per prophana dulciora & suauiora redduntur. Verùm hactenus laxata nescio quomodo vela huic stylo, & prouecta longius, obseruantiâ Tuâ Rñdissime Antistes cõtrahenda tandẽ censeo. Faxit itaq; Deus Ter. Opt. Max.

comprimis huic Cathedræ Præmyslien: ex successu tam probi tamq; eruditi Episcopi, qui noctē peccatis & fraudibus obiicit nubem. Lætare Pręmyslia. Stanislaum Siecinium Tibi alterum Stanislaum Crac: futurum. Gaudete oues Pręmyslianæ, tanto Pastore vestro, qui vnâ, quod absit amissâ è centum, relictis nonaginta, quæsiturus est eam, & inuentâ, in ædes sacras humeris suis ad instar sum̃i Pastoris Christi importaturus. Lętare Senatus, Stanislaum Siecinium alterum Stanislaum Sczepanowski, alterum Zbigneum Olesnicki libertate dicendi: alterum Radziwilum aut Macieiouium liberalitate: alterum Zebrzydowium & Myszkowium doctrinâ & eloquentiâ: tua subsellia occupare. Triumpha tota vniuersáq; Sarmatia, te eiusmodi parere filios & procreare quorum Primus Siecinius Antistes Pręmysliensis, qui.

- - - - vt altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos, hyemesq; reliquit
Celsior exurgit pluuiis auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos vt cœca tonitrua calcat.

Sic ille super inscitiam, Auaritiam, Affectus. Facit quod magni animi sui scito reliqui magni præse tulêre. Quid ergo? PACEM SVMMA TENENT: ita Deus hoc atq; altero æuo illam Amplissimo Præsuli Stanislao Siecinio donet.

SCRIPSI LEGENT. REM TENENTES IVDICATE.

FINIS.

am
au-
Sie-
au-
nâ,
esi-
ad
us,
on,
al-
te-
lo-
er-
are

od
id
oc